INDEX
SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA

HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI cIↃIↃcccXXXVI

INDE A DIE XXV APRILIS USQUE AD DIEM XVII SEPTEMBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE

HABENDARUM.

Inest MEIERI commentatio prima de Andocidis quae vulgo fertur contra Alcibiadem oratione.

HALAE,

TYPIS HENDELIANIS.

UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
PRORECTOR
IOANNES FREDERICUS GODOFREDUS EISELEN
CUM
DIRECTORE ET SENATU
S. D.
CIVIBUS SUIS.

Contra Alcibiadem orationem videri et ad Andocidem male referri et sophisticae artis scitamentum esse ingenii ostentandi vel stili exercendi caussa compositum, id nos accuratius demonstratum ituros cum nuper[1]) promiserimus, promissis ita nunc stare in animum induximus, ut quaestionem ab avorum inde memoria non minima doctorum hominum contentione agitatam quasi de integro in examen vocemus. Nam postquam primum *Taylorus*[2]) „exultante", ut ipse gloriatur, „crisi" eam orationem non ad Andocidem pertinere sed ab Phaeace conscriptam esse conatus est evincere, statim quidem *Tib. Hemsterhusius*[3]) in eius discessit sententiam et *Ioannes Piersonus*[4]) quibus ille usus esset argumentis, ea minime contemnenda dixit; aliquot autem annis interiectis exorti sunt summi viri *Ruhnkenius* et *Valckenarius*, quorum ille in historia critica oratorum Graecorum[5]) hic in adversariis, quorum particulam *Sluiterus*[6]) publici iuris fecit, refutatis argumentis aliquot, quibus aut minus ad persuadendum idoneis aut plane falsis Taylorus erat usus, Andocidi ereptam orationem denuo vindicarent, atque ea lis vindiciarum ita illis duumviris successit, ut, qui postea Andocidis orationes singulari industria tractaret, Sluiterus[7]) negaret „post Ruhnkenii egregiam disputationem esse qui dubitaret, quin germana esset Andocidis oratio". Dubitare tamen ausi sunt *Athanas. Augerius*[8]), dein ipse huius commentationis auctor in eo libro[9]), quem adolescentulus de bonis damnatorum scripsit, tum *Wachsmuthius*[10]), denique is qui laudabile studium in oratorum Atticorum monumentis explicandis et vir posuit et senex pergit ponere, *Albertus Gerardus Beckerus*[11]). Neque vero dubitationibus conficitur res, praesertim cum non tantum *Droysenus*[12]) in eleganti commentatione, quam de Hermocopidis nuperrime scripsit, sibi eam orationem germanam Andocidis videri et professus et probare conatus sit, sed etiam *Fredericus Augustus Wolfius*[13]), *Augustus Boeckhius*[14]), *Georgius Schoemannus*[15]) quotiens huic

---

[1]) Prooem. Indic. Schol. Univers. Halan. 1835 — 1836. p 1. not. 3. Allgem. Encyclop. d. W. u. K. III, 7, S. 177. [2]) Lect. Lys. c. VI. [3]) ad Thom. M. p. 810. B. [4]) ad Moerid. v. πομπεῖα p. 332. [5]) p. 131. ed. Reisk. [6]) Lection. Andocid. p. 17. § 99. Taylori, Ruhnkenii et Valckenarii ea de re disputationes coniunctim editae leguntur in Andokid. v. *A. G. Becker*. p. 81 — 108. [7]) Idem iudicium est *E. Hepneri* praefat. ad interpretat. Germanic. huius orationis Vratislav. 1824. pag. VI. [8]) In praefatione quam interpretationi Gallicae praemisit p. 193. [9]) p. 5. Cf. etiam A. L. Z. 1827. No. 118 sqq. [10]) Hellen. Alterth. 1, 2, 190. [11]) Andokides übersetzt und erläutert von A. G. Becker. Quedlinburg 1832. p. 4. p. 13. sqq. Hunc fere sequitur *Anton. Westermannus* hist. eloq. graec. p. 66. [12]) p. 41. Rheinisches Museum III. p. 199. [13]) ad Leptin. §. 137. p. 376. — Scholis Wolfii de litter. graec., quas Guertleri male feriata industria nuper edidit, sciens abstineo, manium religionem reveritus, neque ex iis, quae p. 374. leguntur, colligas, quid Wolfius ea super quaestione statuerit. [14]) Oec. Civil. Athen. I. 431. II. 16. [15]) de comit. Athen. p. 243.

[*]

orationi testimonium denunciant, ita ea utantur, ut nullam videantur fidei dubitationem habuisse. — Cum igitur eam caussam susceperimus tuendam, quae posset inferior videri, si esset auctoritatibus transigenda, dabimus operam ut non temere ab summorum hominum iudiciis dissensisse videamur. Namque in ea arte factitanda, quae ab iudicandi munere critica appellatur, non minus illud fugiendum est, ne rationibus tibi nolis persuaderi, ubi prisca et inveterata quaedam opinio diuturnitate[16]) temporum consecrata possessione turbanda est (quasi vero longi temporis praescriptioni non minus sit tribuendum in re litteraria quam in iure civili et publico), quam ne novitatis quodam pruritu captus quodvis opinionum figmentum temere arripias. Qui autem pro rationibus quadam quasi circumforanea iactatione utitur, qua rem oratorie verbis auget modo, modo minuit, is plebem imperitam ducere maluisse censendus est, quam doctis hominibus persuadere, qui quidem graviter ferunt, si aliter persuadeas quam ratione diligenter inita subductaque. Neque vero magis rationum loco ad argumentorum id genus refugiendum, quae in vagis incertisque sensibus posita sunt; etenim ne naevis quidem desunt amatores, immo

amatorem - amicae
Turpia decipiunt caecum vitia aut etiam ipsa haec
Delectant.

Huc referimus, quod Ruhnkenius „eandem“ dicit „in hac contra Alcibiadem quam in ceteris Andocidis orationibus esse dicendi formam, vim et gravitatem“, quod Valckenarius „vim dicendi in hac oratione elucere admirabilem et prorsus Andocideam“, quod „eundem“ vult „videri stilum atque in reliquis, quae sine controversia sint Andocidis, eandem dicendi vehementiam, eandem libertatem,“ quod Droyseno videtur, „eundem tumultuarium sermonem etiam haec prae se ferre oratio, qui huius oratoris proprius est“. Nam haec nisi singula comprobantur singulatim, quomodo persuadeant ei, quicumque suis neque aliorum oculis videre didicit, intellexitque oratorem hunc visum esse ipsis antiquitatis arbitris non vehementem, non liberum, immo sedatum, simplicem, paene humi serpentem?

II.

Si qui autem sunt, quibus totum hoc commentandi genus, quo de librorum antiquorum fide disputatur, quod est sane admodum lubricum et incertum, ut audacius iusto plane abiiciendum videatur, quique metuant ne libri auctoribus privati, veluti liberi abs te parentibus orbati[17]), spectro tibi et terriculo sint, hi meminerint, quaeso, ut et fraudem et errorem eorum, qui incertis parentibus editos partus magnis nominibus supponerent, ita artem quoque supposita ab germanis discernendi non recens esse receptam, immo antiquitate non cedere ipsis philologiae incunabulis. Bibliothecam a Pisistrato primam conditam esse recens quaedam fama[18]) memoravit, patri fortasse tribuens, quae filiorum, Hipparchi praecipue, fuerint; neque huic bibliothecae praeter Homerum nisi paucissi-

[16]) Lepidam fabulam post *Richardum Paceum* et *Richardum Bentleium* narravit *F. A. Wolfius* in quodam prooemiorum, quae elegantissima solebat indicibus scholarum huius Halanae universitatis praemittere, et *Freder. Manitius* in unum corpus redegit, p. 126. „fuisse olim in Britannia indoctum quendam sacrificulum, qui triginta per annos recitans librum horariarum precum pro verbo *Sumpsimus* legere soleret *Mumpsimus*. Qui quum natu iam grandior ab amico ultra ordinem litterato monitus esset, ut ridiculum errorem deponeret, vocem insolitam miratum religiosum hominem pro simplicitate sua respondisse, non videre se cur antiquum suum *Mumpsimus* mutaret novo alterius *Sumpsimus*.“ Scilicet paucorum annorum, unius aetatis levis error saepe numero antiquae possessionis ius et gravitatem usurpat. [17]) Utor metaphora a Photio cod. 265, sed etiam a classicis scriptoribus usurpata. Cf. *Schaefer* Appar. Crit. in Demosth. IV, p. 298. [18]) *Athen.* I, 3. *Gell.* VI, 17.

morum quorundam poëtarum nuper demum perscripta carmina quidquam inesse potuisse significavit Wolfius[19]). Eadem librorum colligendorum laude floruit Pisistrati aequalis, Samiorum tyrannus, Polycrates, qui etiam ipse poetis veluti Anacreonte usus erat et Ibyco Rhegino[20]). Ea autem aetas ut prima librorum conflandorum, ita prima erat litterariae fraudis, cuius, ut alios[21]) taceam, Onomacritus[22]), Pisistratidarum familiaris, manifestus tenebatur, qui sua carmina cum aliis tum Orpheo et Musaeo supposuerat. Amplissimam librorum supellectilem is sibi comparavit, qui cum superaret omnes doctrina, doctrinae subsidiis omnium carere poterat minime, Aristoteles. Ea quod multum praestitit et superiorum et aequalium bibliothecis, Straboni[23]) Aristoteles *primus* dicitur collegisse libros atque eo exemplo Aegypti regibus praeivisse; multa infuisse et rara etiam orationum exemplaria Rhetoricorum libri probant, in quibus ita et artium scriptoribus et oratoribus testimonium denunciatur, ut ipsorum verba testimonii caussa non raro apponantur. Multa inerant etiam *ἀδέσποτα ὑπομνήματα*, sive commentarii, de quorum auctoribus non constabat. Ea bibliotheca hereditate ad Theophrastum et hoc mortuo ad Neleum Scepsium simul cum ipsius Theophrasti bibliotheca pervenit; Neleus exceptis ipsorum Aristotelis Theophrastique libris, quos vendere fortasse religioni erat[24]), reliquam bibliothecam Aegyptiorum regi alteri Ptolemaeo Philadelpho vendidisse videtur[25]), qui conditam a patre[26]) suo Lagida bibliothecam in Bruchio auxit multis accessionibus et for-

---

19) Prolegom. ad Homer. p. CXLV. 20) *Panofka* de reb. Samior. p. 36. 21) *Nitzsch* de histor. Homer. I, p. 97. sqq. 22) *Herodot.* VII, 6. Cf. *Ritschelii* mei egregiam de Onomacrito commentationem in Encyclop. Univ. III. 4. p. 4. sqq. 23) *Strab.* XIII, 608. extr. *'Αριστοτέλης — πρῶτος ὧν ἴσμεν συναγαγὼν βιβλία.* *Stahr.* Aristotel. II. 25. Ea in bibliotheca colligenda quam mediocriter sumptibus pepercerit, vel illud docet, quod Speusippi philosophi pauculos libros tribus talentis Atticis emisse narratur (Gell. III, 17. *Diogen. Laert.* IV, 5.). 24) Horum exempla ipsis fortasse Aristotelis Theophrastique manibus perscripta postquam diu in urbe Scepsi negligenter sub clavibus reposita et mox in fossa quadam subterranea iacuerunt occultata, tandem duobus fere post Neleum saeculis in manus Apellicontis Teii emptionis lege pervenerunt, qui insigni tum librorum et prototyporum potissimum colligendorum cupiditate flagrabat. Statim post mortem Apellicontis Athenis ab Sulla captis illius quoque bibliotheca ab victore Romam recepta est. — Posui haec paullo verbosius, ut significarem probari mihi rationem ab *Stahrio* nostro initam (Aristot. II, p. 18 sqq.), qua cum Strabone Plutarchoque Athenaeum conciliavit. 25) Athen. I, 3. *παρ' οὗ (Νηλέως) πάντα πριάμενος ὁ ἡμεδαπὸς βασιλεὺς Πτολεμαῖος Φιλάδελφος δὲ ἐπίκλην μετὰ τῶν 'Αθήνηθεν καὶ τῶν ἀπὸ Ῥόδου εἰς τὴν καλὴν 'Αλεξάνδρειαν μετήγαγε.* 26) Ut hunc, quem constat doctrinarum fuisse studiosissimum et Alexandri res gestas mandasse ipsum litteris, bibliothecam condidisse, aut certe ei condendae fundamenta iecisse cum *Valckenario* (de Aristobul. p. 45) et *Boeckhio* Praef. ad Pind. Schol. IX. censeam, neque ad Philadelphum filium etiam origines bibliothecae referam, movit me praeter *Irenaeum* et *Clementem* Strom. I. p. 341. d. Demetrii maxime Phalerensis memoria in fabula de ortu LXX interpretationis ut praefecti bibliothecae Alexandrinae toties rediens veluti in *Aristeae*, si diis placet, epistola (p. II. ed Hodii *κατασταθεὶς ἐπὶ τῆς τοῦ βασιλέως βιβλιοθήκης Δημήτριος ὁ Φαληρεύς*. Cf. ipsas a Demetrio datas litteras ibid. p. V.), apud *Tertullianum* Apolog. c. 18 et innumeros alios, quem a Philadelpho praepositum bibliothecae esse eo minus est credibile, quo magis ex Hermippo (cf. *Lozynski* p. 90) constat, Philadelphi odium meruisse Phalerensem consilio, quod patri Soteri dedisset de regno Eurydices filiis relinquendo; id Berenices filium tam graviter molesteque tulisse, ut statim ab regno capessito Demetrium relegatum in custodia teneret, in qua hunc morsu aspidis esse vita privatum. Neque vero propterea, quod narratio de origine illius interpretationis in numerum Fabularum referenda est, credibile Demetrii etiam nomen temere fictum esse; quidni aliud finxerunt, si Demetrii ne fuit quidem ea provincia? Accedit quod a *Plutarcho* (Apophth. Reg. 8, p. 124) narratur, *Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς Πτολεμαίῳ τῷ βασιλεῖ παρῄνει τὰ περὶ βασιλείας καὶ ἡγεμονίας βιβλία κτᾶσθαι καὶ ἀναγινώσκειν.* Uno argumento sciens abstineo, quod Museum quoque a Ptolemaeo I. conditum esse ex *Plutarcho* (non poss. suavit. viv. secund. Epicur. c. 13. T. 14 p. 103. H.), *εἰ δὲ Πτολεμαῖος ὁ πρῶτος συναγαγὼν τὸ μουσεῖον τούτοις συνέτυχε* erant qui efficere vellent; malo enim *ὁ πρῶτος* coniungere cum *συναγαγών* „qui primus coegit", quam cum *Πτολεμαῖος* „Ptolemaeus primus". Neque vero audiendus est *Humphredus Hodius*, qui in libro acutissimo alioquin et maximae doctrinae „de bibliorum textib. originalibus" lib. I, c. 8 id efficere studet, Demetrio principe viro et legumlatore et philosopho indignum videri munus, quod tantum in litteratos homines humilioris conditionis, in grammaticos, in

tasse[27]) secundam in Serapeo adiecit magno librorum apparatu Athenis, Rhodi aliisque locis empto et coacervato[28]). Bibliothecam ab Philadelpho conditam narrant veteres chronologi alii, veluti Syncellus[29]) et Iulius Africanus[30]) Olympiade CXXXII, alii, veluti Eutropius[31]) quidam trigesimo postquam regnum adeptus esset anno, qui utrique non secum pugnant; nam cum Ptolemaeus primus anno altero mortuus sit Ol. CXXIV, eique statim successerit Philadelphus filius, quem pater iam vivens in regni societatem adsciverat, trigesimus huius regis annus idem erat primus Olympiadis CXXXII. Faciunt cum his etiam *Strabo*[32]) et *Aelianus*[33]), qui propter ingravescentem valetudinem litterarias oblectationes ab Philadelpho expetitas esse volunt; correptus enim morbo rex erat extrema demum aetate corpore voluptatibus consumpto. — Ad eundem Philadelphum, *αὐτογράφων* studiosissimum, arbitror fabulam referendam esse ab *Galeno*[34]) commemoratam; narrat enim ab Atheniensibus interposito pignore XV talentorum Sophoclis, Euripidis et Aeschyli libros regem accepisse ea lege, ut describi curaret, dein salvos redderet; acceptos iussisse in optimis chartis splendidissime describi; tum archetypa ab Atheniensibus missa retinuisse, ab se curata exempla remisisse rogantem, ut et XV talenta retinerent et pro veteribus, quos dedissent, novos libros acciperent. Verissime autem ab *Aug. Boeckhio*[35]) et *Grysaro*[36]) monitum, non ipsa illorum poëtarum archetypa sed illud exemplum in Alexandrinam bibliothecam transmissum videri, quod ex Lycurgi lege publice Athenis confectum in tabulario ab scriba urbis servatum esset, quod quidem exemplum fortasse non alias fabulas comprehendit, quam quas Athenis ipsis poetae do-

---

servos, in libertos deferri solitum sit; scilicet neque grammatici, neque liberti Caesaris Augusti abiectae sunt conditionis et aliud est bibliothecae praeesse, aliud a manu esse; Demetrium autem non abhorruisse ab grammaticorum eruditione index librorum eius probat (ap. *Diogen. Laert.* V, 80. sqq.), in quo praeter rhetorica et philosophica opera commemorantur etiam historici commentarii et in Iliad. et Odyss. libri sex. Negat etiam accuratae doctrinae vir *Weichertus*, tum a Ptolemaeo I. bibliothecam conditam tum Demetrium ei praefuisse, et Zenodotum vult primum a bibliotheca fuisse, (de Apollon. Rhod. vit. et carminib. p. 11. sqq.), sed argumenta, quod sciam, non attulit. — [27]) Eam constat ante Caesarem extitisse, quo tempore condita sit non constat; sed ut iam in Ptolemaeum secundum eam referrem laudem, movit me argumentum sane levidense, quod *Athenaeus* V, 203. e. huius regis *βιβλιοθηκῶν κατασκευὴν* iactat, quod Zenodotus, quem scimus hoc rege et filiis regiis erudiendis et bibliothecae praefuisse, *Suidae* (s. v.) dicitur *τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βιβλιοθηκῶν προὐστάναι*, quod in *Chronic. Paschal.* p. 173. (326. ed. Dind.) Ptolemaeus Philadelphus dicitur sacros Hebraeorum libros *ἐν ταῖς κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν κατασκευασθείσαις αὐτῷ βιβλιοθήκαις ἀποθέσθαι μετὰ καὶ ἄλλων πλείστων ἀπὸ ἑκάστης πόλεως φορολογήσας παντοίων βιβλίων;* quod Apollonius quoque Rhodius, qui post Eratosthenem a bibliotheca erat (cum Eratosthenes autem diem obierit supremam Ol. CXLVI. cf. *Bernhardy* Eratosth. p. X. XII. Apollonius videtur regnante Ptolemaeo IV. Epiphane, qui ab Ol. CXLIIII, 1 usque ad CXLVIIII, 4 regnavit, bibliothecae praepositus esse) ab incerto vitae enarratore dicitur *τῶν βιβλιοθηκῶν τοῦ Μουσείου ἀξιωθῆναι*, unde illud certe patet, non in Physconem demum sive Ptolemaeum VII. referendam esse secundae bibliothecae originem. Levidense appellavi argumentum, quod *βιβλιοθηκῶν* pluralis numerus saepius videtur de una dici bibliotheca, veluti Dionysium Alexandrinum, qui ab Neronis usque ad Traiani tempora vixit, *Suidas* s. v. *τῶν βιβλιοθηκῶν* ait *προὔστη*; „Ptolemaeorum eruditissimus, quem Philadelphum supernominant, et omnis litteraturae sagacissimus cum studio *bibliothecarum* Pisistratum, ut opinor, aemularetur", habet *Tertullian.* Apolog. c. 18. Neque tacendum, quod bibliothecam singulari numero ab Philadelpho conditam memorant *Augustin.* (de Civ. Dei XVIII, 42. „in bibliotheca, quam nobilissimam fecerat") *Iustinus Martyr.* (Apolog. 2. *ὅτε βιβλιοθήκην κατεσκεύασε.* cohort. ad Graec. *βιβλιοθήκην ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ κατασκευάσας*) *Eusebius* (Chronic. ex interpretat. Hieronymi p. 140. „in Alexandrina bibliotheca habuit quam sibi ex omni genere litteraturae comparaverat") *Epiphanius* (de pond. et mens. c. X. *βιβλιοθήκην κατασκευάσας ἐπὶ τῆς αὐτῆς Ἀλεξάνδρου πόλεως ἐν τῷ Βρουχίῳ καλουμένῳ κλίματι*). [28]) *Athen.* V. 203, e. [29]) Chronograph. p. 273. (518 ed. Dind.) *τὴν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βιβλιοθήκην καθίστησιν ρλβ´ ὀλυμπιάδι, ἧς πληρουμένης τελευτᾷ.* [30]) ap. *Euseb.* l. c. [31]) Ennead. IV, 8. [32]) XVII, p. 789. 6, p. 487 Tzsch. [33]) V. H. IV, 15. [34]) Comment. II. in Hippocrat. *ἐπιδ. γ´.* (p. 240. ed. Chart. 412. ed Bas. T. 17. p. 607. Kühn). [35]) de tragic. graec. p. 12. sq. [36]) in egre-

cuerant, et ne eas quidem omnes, sed solas victrices. Permiserint hoc Athenienses ei regi, cui summa quaeque, etiam illud detulerunt, quem inter heroas indigenas referrent, a quo tribus diceretur[37]), scilicet remuneraturi anceps[38]) auxilium, quod adversus Antigonum Ol. CXXVIII tulerat, classe Patroclo duce missa, quae quidem re infecta non minus discesserat, quam Spartani, quos ut Areo imperatore Atheniensibus suppetias ferrent idem Philadelphus excitaverat; remuneraturi etiam regiam liberalitatem, qua gymnasium Ptolemaeus Atheniensibus prope ab Theseo condiderat.

Eodem bibliothecae amplificandae studio cum reliqui Ptolemaei ducebantur, etiamsi alioquin sceleribus affluebant, tum septimus, quem propter obesitatem opprobrii caussa Physconem dicebant, utut erat omni vita inquinatissimus. Patre huius, Epiphane, regnante (regnabat autem hic ab a. Chr. **204 — 181**) Pergami rex Eumenes II. Attali primi filius, qui ab Ol. CXLV, **4** usque ad Ol. CLV, **3** sive ab a. **197 — 158** a. Chr. regnabat[39]), Pergami bibliothecam condidit[40]), mox Alexandrinae aemulam et ab successoribus vehementer auctam. Quanta enim cum contentione et aemulatione iam a principio inde inter utrosque reges, et Ptolemaeos et Attalicos, bibliothecae amplificatio agitata sit, cum alia adsint documenta, tum duo illustria; unum illud, quod cum Eumenes invitasset ad se grammaticum eum, qui post Apollonium Rhodium Alexandrinae bibliothecae praeerat, sive is Aristophanes[41]) erat, sive ab hoc diversus, praefecturus nimirum bibliothecae suae, iter parantem Epiphanes in carcerem coniecit et per aliquot annos in vinculis tenuit. Alterum hoc est, quod papyri sive chartae papyraceae ex caule plantae Aegyptiae, quae Graecis *βύβλος* dicebatur, contextae exportatione Ptolemaeus interdixit, quem alii volunt Physconem fuisse; nos id quoque in Epiphanem cadere coniicimus. Ea autem res secus evenit, quam rex expectaverat; nam necessitas coegit Pergamenos ut membranam invenirent, quae inde Pergamena dicebatur[42]), longe praestantiorem illam reliquis pellibus rasis, quibus olim Graeci, Herodoti temporibus aliquot nationes barbarae ad scribendum utebantur. — Neque ab hoc librorum colligendorum studio Syriae reges Seleucidae abhorrebant; immo praeterquam quod iam in Antiochi primi Soteris aulam aliquot viri doctrina ingeniove insignes convenerant invitati, Antiochus Magnus, qui Ol. CXXXVIIII, **1** a. Chr. **224** regnare coepit, Euphorionem Antiochenae bibliothecae dicitur praeposuisse[43]). — Prae his autem regiis non attinet privatas[44]) commemorare bibliothecas vel antiquiores illas Atheniensium Euripidis[45]), Euthydemi[a]) et Euclidis[46]) et

---

gia commentatione de tragoed. Graecor. circ. temp. Demosth. p. 7. [37]) *Boeckh.* ad Corp. Inscr. Graec. T. 1. p. 162. [38]) *Schorn* Geschichte Griechenl. p. 56. [39]) Cf. *Boeckh.* C. I. Gr. 1. p. 164.
[40]) *Strab.* XIII. 626. Doctissimi *Mansonis* librum „ueber die Attalen, ihre Staatsklugheit, Benehmen u. a. Verdienste" nondum licuit videre. [41]) *Suid.* V. *Ἀριστώνυμος — προέστη τῆς τοῦ βασιλέως βιβλιοθήκης μετὰ Ἀπολλώνιον — διασκευασθεὶς δὲ ὡς βουλόμενος πρὸς Εὐμένη φυγεῖν ἐφυλάχθη ἐν εἱρκτῇ χρόνον τινά.* Nam haec quominus ad omnibus ignotum grammaticum Aristonymum referantur scito Meinekii iudicio cautum est probabiliter ea ad nobilissimum Aristophanem referentis; quamquam ratio, qua is Suidae locus reddendus sit integritati, nondum constat; certe Bernhardyi coniectura magis significat quid desideretur et quid potuerit scribi, quam quid scriptum fuerit. [42]) *Plin.* N. H. XIII, 21. „aemulatione circa bibliothecas regum Ptolemaei et Eumenis supprimente chartas Ptolemaeo idem Varro membranas Pergami tradit repertas" cf. *Funcc.* de scriptur. veter. p. 90. sqq.; ineptiunt *Lydus* de mensib. p. 30 et *Tzetzes* Chiliad. XII. 405. [43]) *Suid.* v. *Εὐφορίων — καὶ προέστη ὑπ' αὐτοῦ τῆς ἐκεῖσε βιβλιοθήκης.* [44]) *Athen.* I, 3. [45]) Hinc Euripidis pendet *eruditio*, quam ut abhorrentem ab tragoediarum natura toties reprehendit Aristophanes, ut *σοφοῦ* cognomen ei paene in contumeliam verteret; et Ran. v. 940. sqq. Comicus Euripidem facit gloriantem, tumore se et gravitate liberasse tragoediam *ἐπυλλίοις καὶ περιπάτοις — χυλὸν διδοὺς στωμυλμάτων ἀπὸ βιβλίων ἀπηθῶν.* In ea bibliotheca cum aliorum physicorum libri tum Anaxagorae fuerint Clazomenii, cuius ut auditor poeta diceretur, Anaxagorea placita in tragoediis saepe significata (cf. *Valcken.* Diatr. c. IV. et V.) effecerint, quamquam Euripid. eo familiariter usum esse non negamus. *a) Xenoph.* Mem. IV, 2.

Cyprii Nicocratis[47]), vel eius qui Sullanis temporibus magnam librorum molem coegit, Apellicontis Teii [48]), vel denique Tyrannionis, grammatici Amiseni, quem a Lucullo in praeda Amisena Romam deductum (a. a. Chr. 71.) librorum supra tricies mille sibi collegisse *Suidas* (s. v.) auctor est. Ea mota contentione cum reges illi et librorum numero et magnis nominibus, ad quae referrentur, superare se studerent, quicumque lucro magis quam veritate ducebantur, magnis auctoribus suppositos libros eo magis cupidissimis emptoribus emendos offerebant, quo et praemia maiora essent proposita, et minus quam nunc verendum, ne fraudis statim convincerent se reges ab re critica adeo alieni. *Mercatus igitur librorum ferax dicendus est litterariae fraudis.* Is iam ante Alexandrum cum alias tum Athenis institutus est, ubi τὰ βιβλία forum dicebatur, in quo libri venales prostabant[49]); quod vocabulum cum iam apud Eupolidem comicum eo extet significatu, antiquitatem Attici librorum mercatus satis testatur; Athenis autem et aliis ex Graeciae urbibus etiam in colonias Ponti, Thraciae exportabantur libri. Sosii vero sive bibliopolae antiquorum Graecorum, id quod quasi praeteriens annotandum arbitror, sumptus[50]) describendis tantum exemplis videntur fecisse, ipsis auctoribus honorarium donum aut raro aut numquam obtulisse; nam quod apud Plinium[51]) extat „Isocrates viginti talentis unam orationem *vendidit*", noli ita accipere, quasi vero vendiderit bibliopolae, immo Plinius minus accurate locutus est neque pro *vendita* sed pro oratione Nicocli Cypriorum regi *inscripta* ab *hoc* $\overline{XX}$ talenta accepit[52]) Isocrates. Per bibliopolas ψευδεπιγράφων numerum vehementer iam antiquitus auctum esse, uno satis habeo probare exemplo; ab Isocrate enim cum iudicialem orationem nullam Aphareus privignus eius, non multas esse scriptas Cephisodorus auditor eius maxime germanus contenderent, apud bibliopolas tamen multi fasciculi iudicialium orationum Isocratis circumferebantur; auctor est Aristoteles [53]), quo nomine cur Siculum potissimum rhetorem coniiciant significari, non satis scio. Sed multo latius id fraudis genus coepit patere, cum Ptolemaei et Attalici reges inter se certarent[54]); neque mirum si ea litterariae fraudis quasi quadam officina Alexandriae aperta unus etiam et alter Iudaeorum, qui graece docti et graecis litteris imbuti in ea urbe delitescebant, ita usus est, ut Graecorum doctissimis poetis et scriptoribus versus, carmina, fabulas, libros supponeret, veluti Aristobulum in commentariis, quos in legem Moysis scriptos Philometori regi inscripsit, Orpheo, Lino, Homero, Hesiodo versus fraudulenter supposuisse *Valckenarius*[55]) evicit; erat ea scilicet pia fraus, qua gentis suae antiquitatem et gloriam tuerentur, qua genti-

---

[46]) Hunc cur praetorem statuant fuisse anni Ol. $\overline{XCIV}$, 2, caussae nihil scio. [47]) Hic cognationene attigerit Nicoclem, Euagorae filium et in regno Cyprio successorem, hominem non mediocriter doctum, an Nicocreontem illum, quem Ptolemaeus I. Cypro in suam potestatem receptae praefecit, hominem non minus luxurie diffluentem, quam crudelitate insignem, non ausim definire. [48]) *Athen.* V, p. 214. [49]) *Pollux* IX, 47. *Boeckh.* Oec. Civ. Athen. I, 51. [50]) *Christiani Schoettgenii* histor. librariorum et bibliopolarum recentis et medii aevi c. 2 in *Polen.* Thesaur. III. *Manso* „Vermischte Schriften" p. 281. [51]) *Plin.* N.H. VII, 31. [52]) *Pseudo-Plutarch.* Vit. Isoc. p. 333. Ἡ παρὰ Νικοκλέους τοῦ Κυπρίων βασιλέως ὃς ἦν υἱὸς Εὐαγόρυ — εἴκοσι τάλαντα λαβὼν ὑπὲρ τοῦ πρὸς αὐτὸν γραφέντος λόγου. [53]) apud *Dionys. Halicarn.* de Isocrat. iudic. p. 576. [54]) Utor hic notissimis locis *Galeni* in Hippocrat. de natur. homin. Comm. p. II. 28. (T. XV. p. 109. Kühn.) Ἐν τῷ κατὰ τοὺς Ἀτταλικούς τε καὶ Πτολεμαϊκοὺς βασιλέας χρόνῳ πρὸς ἀλλήλους ἀντιφιλοτιμουμένους περὶ κτήσεως βιβλίων ἡ περὶ τὰς ἐπιγραφάς τε καὶ διασκευὰς αὐτῶν ἤρξατο ῥαδιουργία τοῖς ἕνεκα τοῦ λαβεῖν ἀργύριον ἀναφέρουσιν ὡς τοὺς βασιλέας ἀνδρῶν ἐνδόξων συγγράμματα et *Ammonii Hermeae F.* ad Arist. Categ. fol. 3, 9. Τρεῖς ἀφορμαὶ γεγόνασι τοῦ νοθεύεσθαι τὰ συγγράμματα τοῦ Ἀριστοτέλους — Ἡ δὲ τρίτη τοιαύτη ἐστίν. Πτολεμαῖον τὸν Φιλάδελφον πάνυ ἐσπουδακέναι φασὶ περὶ τὰ Ἀριστοτελικὰ συγγράμματα, ὡς καὶ περὶ τὰ λοιπά, καὶ χρήματα διδόναι τοῖς προσφέρουσιν αὐτῷ βίβλους τοῦ φιλοσόφου. Ὅθεν τινὲς χρηματίσασθαι βουλόμενοι ἐπιγράφοντες συγγράμματα τῷ τοῦ φιλοσόφου ὀνόματι προσῆγον. [55]) In diatribe de Aristobulo Iudaeo. Idem argumentum aliquot illustribus exemplis tra-

les, quibus quidem aut odio aut despicatui et contemptui erant, Iudaeis plurima debere convincerent.

Iam vero postquam bona librorum copia in regiis illis thesauris congesta est, partim bibliothecarum praefecti, partim qui eruditorum hominum in Museo, regia adiuti liberalitate, litteris operabantur[56]), indices sive tabulas librorum secundum scriptorum genera dispositas ediderunt; idem ne reges quidem ipsos dedignatos esse facere, ex Philadelphi exemplo colligeres, a quo librorum Aristotelicorum scriptum esse indicem Davides[57]) Armenius auctor est, modo constaret recte ab hoc esse ad Philadelphum relatum, quod de Ptolemaeo nescio quo tradidit Ammonius, seu cuiuscumque est vita Aristotelica, quae eius nomen prae se fert. His in tabulis tum incertos libros (*ἀδέσποτα ὑπομνήματα*), quos credibile est numero plurimos fuisse, ad certos quosdam auctores referebant, tum ab suppositis germana distinguebant, in utraque re suum ipsorum iudicium secuti. In eo pronunciando parcendum fortasse erat regis aemulationi, vix aequo animo laturi, si quem librum titulo deceptus ambitioso emisset ingenti pecunia, non ad eum pertinere scriptorem iudicaretur, cuius nomen esset in fronte scriptum; sed ut fuerit ab regis metu liberrimum iudicium, cum plerumque unam fere rem eamque incertissimam in iudicandis librorum auctoribus spectasse videantur, dicendi genus dico, stili differentiam[58]), ad longe certiores autem temporum rationes raro recurrisse, quid mirum, si alius aliud[59]) et nonnumquam nemo recte et vere statuit?

Habes hic tres eosque communes omni litterarum generi quasi fontes, unde *ψευδεπίγραφα* in omnia scriptorum genera manasse quodammodo videntur, primum *fraudem* inquam *sive piam illam sive impiam eorum, qui scientes dolo malo alienis nominibus a se scripta supponebant*, veluti Anaximenes Lampsacenus, ut inimico suo Theopompo invidiam maiorem conflaret et odium adversus eum in maximis Graeciae civitatibus augeret, ab se scriptum Tricaranum huic supposuit, in quo Theopompi scribendi genus malignum et mordax accuratissime expresserat[60]), *dein fraudem sive errorem bibliopolarum*, praesertim eorum, qui magnis bibliothecis exempla librorum emenda offerebant, postremum *errorem eorum, qui cum praeessent vel adessent bibliothecis, earumque indices sive πίνακας facere deberent, incerta male ad certos auctores referebant. Orationum* autem alienis nominibus subdendi quartus quidam erat et peculiaris fons. Nam cum „circa Demetrii Phalerensis tempora fictas ad imitationem fori consiliorumque materias apud Graecos dicere institutum"[61]) esset, aut latius patere coepisset, atque ex eo inde tempore dicendi palaestrae in caussis iisdem tractandis exercerentur, quae a veteribus oratoribus aut erant actae aut agi potuerant, fieri non poterat, quin ea

---

gicorum Graecorum *Boeckhius* (Graec. tragoed. princip. p. 146 sqq.) illustravit. [56]) Callimachus certe, cuius *πίνακες* mox commemorabuntur, non ipse praeerat bibliothecae, sed quo tempore Zenodotus huic erat praefectus, in Museo locum obtinebat suum. [57]) Verba Davidis descripta habent *Brandisius* (Mus. Rhen. I, 3. p. 220.) et *Stahrius* Aristot. I, 159. II, 63. [58]) Eius rei infra aliquot exempla afferentur; nunc unum memoro *Ammonium* (ad Arist. Categ. fol. 3.) narrantem ex Analyticorum libris, qui in bibliotheca fuerint XL, esse IV, ex duobus Categoriarum libris unum ab exegetis pro germano Aristotelis iudicatum; *ἐκρίθη δὲ ἔκ τε τῶν νοημάτων καὶ τῆς φράσεως κ. τ. λ.* [59]) Carmina eadem cum ab aliis ad Stesichorum, ad Ibycum ab aliis referantur, *Neueus* coniecit carmina sine notitia auctorum transmissa grammaticos certis assignasse de suo, id quod aliorsum retulit *Schneidewinus* Ibyc. Rhegin. p. 47. Omnino ab diversis diversa saepe numero lata esse iudicia de eiusdem libri auctore cum possis innumeris exemplis comprobare, ego satis habeo unam hic excitare comoediam *Μαμμακύθους*, quam aliis alios tribuere *Meinekeius* te docere potest (Qu. Sc. II, 53). [60]) Cf. *Passow* in prooem. indic. scholar. Vratislav. 1829. p. 5. (Opusc. academ. p. 172.) [61]) *Quintil.* I. O. II, 4, 41.

scribendi pericula sive ingenii lusus ubi aetatem tulissent, fucum imperitis et ab critica arte alienis facerent nonnumquam, ut ad ipsos eos summos oratores referrentur, quorum nomina prae se ferre viderentur. Uno nunc utar eoque notissimo exemplo, alia et luculenta infra additurus; Periclem enim et Alcibiadem cum satis constet nihil scriptum reliquisse, quae utriusque orationes ferebantur Ciceronis aetate, quis dubitabit aut Quintiliano accedere spurias eas iudicanti, aut Spengelio earum originem ex rhetorum posteriorum exercitationibus derivanti[62])?

III.

Memoravimus nobilissimas aliquot Graecae antiquitatis bibliothecas, Alexandrinas duas, Bruchii et Serapei, quarum cum illa esset ab Iulio Caesare incensa, aliam Augustus in Sebasteo condidit, unam Pergamenam, quae ante Augusti tempora Romam translata est[a]), unam Antiochenam. Fuerint his, et si quae aliae essent maiores, sui cuique **πίνακες**; notissimi tamen erant Alexandrini et Pergameni. Alexandrinos appello ab Callimacho Cyrenaeo et Aristophane Byzantio factos. Ab Callimacho enim, quem constat natura sua doctum potius grammaticum fuisse quam poetam, floruisse autem credibile est sub Philadelpho maxime, vitamque produxisse ad Euergetae regni initia, id est ad Ol. CXXXIII, 2, *Suidas* auctor est scriptos esse **πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων**[63]) **καὶ ὧν συνέγραψαν ἐν βιβλίοις κ' καὶ ρ'**, id est „tabulas eorum, qui in quavis disciplina inclaruerunt atque eorum quae conscripserunt libris CXX", a quibus haud scio an minus recte ut diversos libros distinxerit lexicographus tum **πίνακα καὶ ἀναγραφὴν τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκάλων** (sive, ut alii maluerunt, **διδασκαλιῶν**) tum **πίνακα τῶν Δημοκρίτου γλωσσῶν καὶ συνταγμάτων**; nam mihi idem probatur, quod Wowerio[64]) et Ruhnkenio[65]) visum est, ut has quoque illius vasti operis partes arbitrer fuisse. Fallor, aut erat illud ita adornatum, ut referret quodammodo eos librorum indices, quos nostri homines „reales" appellant, nisi quod his multo erant ampliores et doctiores. Erant igitur scriptores in classes quasdam descripti, ut qui eiusdem artis fuissent, eos idem **πίναξ** comprehenderet. Suus igitur **πίναξ** erat lyricis[66]), suus tragicis[67]), suus comicis[68]), nisi unus utrisque[69]), suus historiarum scriptoribus[70]), suus philosophis[71]), suus oratoribus, atque haec est[72]) **ἀναγραφὴ τῶν ῥητορικῶν** (sc. **συγγραμμάτων**); suus deinceps reli-

---

[62]) *Ruhnken.* hist. cr. orat. Graec. p. 125 sqq. R. *Spengel* συναγ. τεχν. 61. sqq. *a*) *Menag.* ad Diogen. VII, 34. [63]) Titulum imitatus est, non librorum indolem et formam, praeter Hermippum Smyrnaeum, de quo infra dicturus sum, *Hesychius Milesius*, cuius liber inscriptus est περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων σοφῶν. [64]) Polymath. c. 16. [65]) Ad Callimach. fragm. p. 470 ed. Ernest. [66]) Refero huc, quod *Schol. Pind.* Pyth. II init. hoc carmen, quod nunc secundum est Pythiorum, Nemeaeum voluit esse. Cf. *Boeckh.* Praef. ad schol. p. X. [67]) Hinc petitum arbitror, quod habet *Harpocr.* v. Ἴων. — ἔγραψε δὲ καὶ φιλόσοφόν τι σύγγραμμα, τὸν Τριαγμὸν ἐπιγραφόμενον, ὅπερ Καλλίμαχος ἀντιλέγεσθαί φησιν ὡς Ἐπιγένους. De hoc philosophico libro, qui τριαγμοὶ plurali numero ab aliis inscribitur, cf. *Nieberding* de Ion. Chii vit. etc. p. 96. Fortasse autem etiam hoc posuit Callimachus in choliambis, in quibus Ionis certe ut πολυγραφωτάτου mentionem factam esse *Suidas* v. διθυραμβοδιδάσκ. probat. [68]) Ex hoc petita sunt, quae habent *Athenaeus* VIII, 336, e. de comoedia Alexidis ἀσωτοδιδάσκαλος, XI, 496 de fabula Diphili Εὐνοῦχος, *Schol. Aristoph.* Nub. 579. de Nubium didascaliis et fortasse etiam quae apud *Ptolemaeum Hephaestionem* extant ap. Bentl. p. 470. [69]) Id credideris propter singularem supra positi πίναξ τῶν διδασκαλιῶν, sed pluralem in eadem re habet Etym. M. 672. 28. Cf. infra not. 97. Ceterum, nisi vehementer fallor, quas Suidas Callimacho tribuit Τραγῳδίας, Κωμῳδίας, Σατυρικὰ Δράματα, Μέλη non sunt nisi tragoediarum, comoediarum, fabularum satyricarum et lyricorum carminum *tabulae.* [70]) *Athen.* II, 70, a. ab Callimacho tradit Ἀσίας περιήγησιν ad Hecataeum insulanum (νησιώτην) referri, quam alii Hecataeo Milesio tribuant. [71]) Huc refero, quod de Parmenidis carmine est apud *Diogen. Laert.* IX, 23, de Eudoxi magistris ap. *eundem* VIII, 86, de illius magistro et praeceptore ap. *Procl.* in Platon. Parmenid. quem excitat *Bentl.* p. 471. [72]) *Athen.* XV, 669, d.

quis litterarum generibus, suus etiam erat miscellae litteraturae, atque hic est[73]) ὁ τῶν παντοδαπῶν συγγραμμάτων vel[74]) ὁ τῶν παντοδαπῶν πίναξ. In his igitur tabulis de cuiusque scriptoris nomine, aetate, patria, genere, magistris, omni vita, librorum fabularumve inscriptionibus, argumentis, temporibus[75]) breviter disputabatur, ab suppositis germana discernebantur. Si in eo iudicio ferendo Callimachus erravit nonnumquam, si vel vehementer erravit, quis paullo humanior non ignoscet „operi longo obrepsisse somnum", aut non indignabitur Caecilios (nam huius farinae hominibus sua videtur Photius[76]) debere) Callimachum imparem iudicando pronunciantes (ὁ δὲ Καλλίμαχος οὐδ' ἱκανὸς ὢν κρίνειν). Accedit quod, si Callimacho in tragicis quidem comicisque poetis recensendis licuit et publicarum tabularum sive διδασκαλιῶν fidem consulere et summorum hominum, Aristotelis, Theophrasti, Dicaearchi, Aristoxeni, aliorum conferre iudicia[77]) et ad eorum auctoritatem suum dirigere, in oratorum recensu faciendo neminem habuit sibi praeeuntem et pleraque omnia ipse primus in examen vocare debuit. — Contra Theocrinem oratio ut inter Demosthenicas referretur, Callimachi[78]) iudicio factum est, quam non esse summi oratoris evincunt quae in ipsa ea oratione contra Demosthenem[79]) dicuntur; rectius eam Dinarcho vindicavit Dionysius; huius utrum an Callimachi sequatur ea in re iudicium, dubius animi haeret Harpocratio[80]), propensus tamen magis ad Callimachi sententiam[81]). Orationes adversus Boeotum de nomine et adversus Mantitheum de dote materna nunc inter Demosthenicas leguntur; Dinarcho, cuius non esse temporum ratio docet, Callimachus quoque tribuerit, quem non minus quam Bergamenos grammaticos in Dinarchi orationibus germanis et spuriis iudicandis Dionysius Halicarnasseus[82]) vult paullo fuisse negligentiorem, quamquam, quinam sint οἱ Δημοσθένους ἀφαιρούμενοι τοῦτον τὸν λόγον καὶ Δεινάρχῳ προσάπτοντες, non significat Dionysius[83]). — Ex deperditis autem Demosthenis orationibus quod adversus Critiam[84]) orationem περὶ τοῦ ἐνεπισκήμματος Callimachus germanam dixit, quam suppositam Dionysius, et pro Satyro[85]) orationem adversus Charidemum quod Dinarcho tribuit, quam alii Demostheni adscripserunt, quis ausit nunc pronunciare, utrum iudicium rectius sit. Neque iniuria reprehenditur[86]) Callimachus, quod Prodicum inter oratores retulit, qui erat inter philosophos referendus; immo largior in Demosthene[87]) et omnino in oratoribus[88]) in tabulas refe-

---

[73]) *Id.* XIV, 643, f., unde patet πλακουντοποιικὰ συγγράμματα sive varios variorum de placentis commentarios hic esse perecensitos. [74]) Id. VI, 244, a. ubi δεῖπνα ὅσοι ἔγραψαν quotquot scriptores convivia scripserunt ex eo indice excitantur. [75]) Cf. quae excitavi not. 68. [76]) Cod. 265. p. 491, b. cf. not. 85. Caecilium nominavi neque Dionysium Halicarnasseum, quod hunc certe in iudicio de fide orationum c. Aristogitonem ferendo maligne vellicavit, quicunque demum est, quem excerpsit Photius p. 491, a. 32. [77]) De his cf. *Meinekeius* Quaest. Scen. III. p. 1 sqq. Aristoxeni Τραγῳδοποιοὶ commemorantur *Ammonio* v. φύεσθαι καὶ ἐφύεσθαι. [78]) *Dionys.* de Dinarch. iudic. p. 653. [79]) Cf. *Demosth.* p. 1333, 16. 1335, 25. 1336, 9. [80]) v. Θεοκρίνης — δῆλον ἔκ τε τοῦ κατὰ Θεοκρίνου εἴτε Δημοσθένους ἐστὶν εἴτε Δεινάρχου. Hinc intelligitur etiam v. ἀγραφίου cum Tayloro et Bekkero scribendum esse διδάσκουσι δὲ τοῦθ' οὕτως ἔχειν Δημοσθένης τε ἢ [erat τε καὶ] Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Θεοκρίνου καὶ Λυκοῦργος. [81]) Certe v. ἐνδεκάζοντες simpliciter excitat: Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Θεοκρίνου. [82]) de Dinarch. iudic. p. 630. [83]) *Id.* ibid. p. 665. [84]) Harpocr. v. ἐνεπίσκημμα — ἔστι δὲ καὶ λόγος τις ἐπιγραφόμενος Δημοσθένους πρὸς Κριτίαν περὶ τοῦ ἐνεπισκήμματος, ὃν Καλλίμαχος μὲν ἀναγράφει ὡς γνήσιον, Διονύσιος δὲ ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ὡς ψευδεπίγραφον. [85]) *Phot.* cod. 265, p. 491, b. καὶ τὸν ὑπὲρ Σατύρου δὲ λόγον τῆς ἐπιτροπῆς πρὸς Χαρίδημον οἱ μὲν πρὸς τὴν κρίσιν ἔχοντες τὸ ἀκριβὲς Δημοσθένους λέγουσιν εἶναι, ὁ δὲ Καλλίμαχος, οὐδ' ἱκανὸς ὢν κρίνειν, Δεινάρχου νομίζει, τινὲς δὲ ὑπεβάλοντο αὐτὸν Λυσίᾳ, καίτοι καὶ τὸν χρόνον ἔχοντες αὐτοῖς διαμαρτυρόμενον καὶ τὸν τύπον ἅπαντα τῆς ἑρμηνείας καὶ τὰ πράγματα καὶ τὴν ἁρμονίαν κ. τ. ἑ. [86]) *Schol. Aristoph.* Av. 692. οὐκ ὀρθῶς δὲ Καλλίμαχος ἐν τοῖς ῥήτορσι καταλέγει. [87]) Ad Demosthenicarum orationum tabulam referendum quod est apud *Dionysium Halic.* de admir. vi dicendi in Demosth. p. 994. ὃν ἐπιγράφει Καλλίμαχος ὑπὲρ Ἁλοννήσου. [88]) Memoratur Callimachi iudicium non tantum de Demosthenicarum et Dinarchearum, sed etiam de Lysiacarum orationum titulis ap. *Dionys.* de Isaeo 6.

scribendi pericula sive ingenii lusus ubi aetatem tulissent, fucum imperitis et ab critica arte alienis facerent nonnumquam, ut ad ipsos eos summos oratores referrentur, quorum nomina prae se ferre viderentur. Uno nunc utar eoque notissimo exemplo, alia et luculenta infra additurus; Periclem enim et Alcibiadem cum satis constet nihil scriptum reliquisse, quae utriusque orationes ferebantur Ciceronis aetate, quis dubitabit aut Quintiliano accedere spurias eas iudicanti, aut Spengelio earum originem ex rhetorum posteriorum exercitationibus derivanti[62])?

III.

Memoravimus nobilissimas aliquot Graecae antiquitatis bibliothecas, Alexandrinas duas, Bruchii et Serapei, quarum cum illa esset ab Iulio Caesare incensa, aliam Augustus in Sebasteo condidit, unam Pergamenam, quae ante Augusti tempora Romam translata est[a]), unam Antiochenam. Fuerint his, et si quae aliae essent maiores, sui cuique **πίνακες**; notissimi tamen erant Alexandrini et Pergameni. Alexandrinos appello ab Callimacho Cyrenaeo et Aristophane Byzantio factos. Ab Callimacho enim, quem constat natura sua doctum potius grammaticum fuisse quam poetam, floruisse autem credibile est sub Philadelpho maxime, vitamque produxisse ad Euergetae regni initia, id est ad Ol. CXXXIII, 2, *Suidas* auctor est scriptos esse **πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων**[63]) **καὶ ὧν συνέγραψαν ἐν βιβλίοις κ' καὶ ρ'**, id est „tabulas eorum, qui in quavis disciplina inclaruerunt atque eorum quae conscripserunt libris CXX", a quibus haud scio an minus recte ut diversos libros distinxerit lexicographus tum **πίνακα καὶ ἀναγραφὴν τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκάλων** (sive, ut alii maluerunt, **διδασκαλιῶν**) tum **πίνακα τῶν Δημοκρίτου γλωσσῶν καὶ συνταγμάτων**; nam mihi idem probatur, quod Woweri[64]) et Ruhnkenio[65]) visum est, ut has quoque illius vasti operis partes arbitrer fuisse. Fallor, aut erat illud ita adornatum, ut referret quodammodo eos librorum indices, quos nostri homines „reales" appellant, nisi quod his multo erant ampliores et doctiores. Erant igitur scriptores in classes quasdam descripti, ut qui eiusdem artis fuissent, eos idem **πίναξ** comprehenderet. Suus igitur **πίναξ** erat lyricis[66]), suus tragicis[67]), suus comicis[68]), nisi unus utrisque[69]), suus historiarum scriptoribus[70]), suus philosophis[71]), suus oratoribus, atque haec est[72]) **ἀναγραφὴ τῶν ῥητορικῶν** (sc. **συγγραμμάτων**), suus deinceps reli-

---

[62]) *Ruhnken.* hist. cr. orat. Graec. p. 125 sqq. R. *Spengel* *συναγ. τεχν.* 61. sqq. *a*) *Menag.* ad Diogen. VII, 34. [63]) Titulum imitatus est, non librorum indolem et formam, praeter Hermippum Smyrnaeum, de quo infra dicturus sum, *Hesychius Milesius*, cuius liber inscriptus est *περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων σοφῶν*. [64]) Polymath. c. 16. [65]) Ad Callimach. fragm. p. 470 ed. Ernest. [66]) Refero huc, quod *Schol. Pind* Pyth. II init. hoc carmen, quod nunc secundum est Pythiorum, Nemeaeum voluit esse. Cf *Boeckh.* Praef. ad schol. p. X. [67]) Hinc petitum arbitror, quod habet *Harpocr.* v. *Ἴων.* — *ἔγραψε δὲ καὶ φιλόσοφόν τι σύγγραμμα, τὸν Τριαγμὸν ἐπιγραφόμενον, ὅπερ Καλλίμαχος ἀντιλέγεσθαί φησιν ὡς Ἐπιγένους.* De hoc philosophico libro, qui *τριαγμοὶ* plurali numero ab aliis inscribitur, cf. *Nieberding* de Ion. Chii vit. etc. p. 96. Fortasse autem etiam hoc posuit Callimachus in choliambis, in quibus Ionis certe ut *πολυγραφωτάτου* mentionem factam esse *Suidas* v. *διθυραμβοδιδάσκ.* probat. [68]) Ex hoc petita sunt, quae habent *Athenaeus* VIII, 336, e. de comoedia Alexidis *ἀσωτοδιδάσκαλος*, XI, 496 de fabula Diphili *Εὐνοῦχος*, *Schol. Aristoph.* Nub. 579. de Nubium didascaliis et fortasse etiam quae apud *Ptolemaeum Hephaestionem* extant ap. Bentl. p. 470. [69]) Id credideris propter singularem supra positi *πίναξ τῶν διδασκαλιῶν*, sed pluralem in eadem re habet Etym. M. 672. 28. Cf. infra not. 97. Ceterum, nisi vehementer fallor, quas Suidas Callimacho tribuit *Τραγῳδίας*, *Κωμῳδίας*, *Σατυρικὰ Δράματα*, *Μέλη* non sunt nisi tragoediarum, comoediarum, fabularum satyricarum et lyricorum carminum *tabulae.* [70]) *Athen.* II, 70, a. ab Callimacho tradit *Ἀσίας περιήγησιν* ad Hecataeum insulanum (*νησιώτην*) referri, quam alii Hecataeo Milesio tribuant. [71]) Huc refero, quod de Parmenidis carmine est apud *Diogen. Laert.* IX, 23, de Eudoxi magistris ap. *eundem* VIII, 86, de illius magistro et praeceptore ap. *Procl.* in Platon. Parmenid. quem excitat *Bentl.* p. 471. [72]) *Athen.* XV, 669, d.

quis litterarum generibus, suus etiam erat miscellae litteraturae, atque hic est[73]) ὁ τῶν παντοδαπῶν συγγραμμάτων vel[74]) ὁ τῶν παντοδαπῶν πίναξ. In his igitur tabulis de cuiusque scriptoris nomine, aetate, patria, genere, magistris, omni vita, librorum fabularumve inscriptionibus, argumentis, temporibus[75]) breviter disputabatur, ab suppositis germana discernebantur. Si in eo iudicio ferendo Callimachus erravit nonnumquam, si vel vehementer erravit, quis paullo humanior non ignoscet „operi longo obrepsisse somnum", aut non indignabitur Caecilios (nam huius farinae hominibus sua videtur Photius[76]) debere) Callimachum imparem iudicando pronunciantes (ὁ δὲ Καλλίμαχος οὐδ᾽ ἱκανὸς ἂν κρίνειν). Accedit quod, si Callimacho in tragicis quidem comicisque poetis recensendis licuit et publicarum tabularum sive διδασκαλιῶν fidem consulere et summorum hominum, Aristotelis, Theophrasti, Dicaearchi, Aristoxeni, aliorum conferre iudicia[77]) et ad eorum auctoritatem suum dirigere, in oratorum recensu faciendo neminem habuit sibi praeeuntem et pleraque omnia ipse primus in examen vocare debuit. — Contra Theocrinem oratio ut inter Demosthenicas referretur, Callimachi[78]) iudicio factum est, quam non esse summi oratoris evincunt quae in ipsa ea oratione contra Demosthenem[79]) dicuntur; rectius eam Dinarcho vindicavit Dionysius; huius utrum an Callimachi sequatur ea in re iudicium, dubius animi haeret Harpocratio[80]), propensus tamen magis ad Callimachi sententiam[81]). Orationes adversus Boeotum de nomine et adversus Mantitheum de dote materna nunc inter Demosthenicas leguntur; Dinarcho, cuius non esse temporum ratio docet, Callimachus quoque tribuerit, quem non minus quam Pergamenos grammaticos in Dinarchi orationibus germanis et spuriis iudicandis Dionysius Halicarnasseus[82]) vult paullo fuisse negligentiorem, quamquam, quinam sint οἱ Δημοσθένους ἀφαιρούμενοι τοῦτον τὸν λόγον καὶ Δεινάρχῳ προσάπτοντες, non significat Dionysius[83]). — Ex deperditis autem Demosthenis orationibus quod adversus Critiam[84]) orationem περὶ τοῦ ἐνεπισκήμματος Callimachus germanam dixit, quam suppositam Dionysius, et pro Satyro[85]) orationem adversus Charidemum quod Dinarcho tribuit, quam alii Demostheni adscripserunt, quis ausit nunc pronunciare, utrum iudicium rectius sit. Neque iniuria reprehenditur[86]) Callimachus, quod Prodicum inter oratores retulit, qui erat inter philosophos referendus; immo largior in Demosthene[87]) et omnino in oratoribus[88]) in tabulas refe-

---

73) *Id.* XIV, 643, f., unde patet πλακουντοποιϊκὰ συγγράμματα sive varios variorum de placentis commentarios hic esse percensitos. 74) Id. VI, 244, a. ubi δεῖπνα ὅσοι ἔγραψαν quotquot scriptores convivia scripserunt ex eo indice excitantur. 75) Cf. quae excitavi not. 68. 76) Cod. 265. p. 491, b. cf. not. 85. Caecilium nominavi neque Dionysium Halicarnasseum, quod hunc certe in iudicio de fide orationum c. Aristogitonem ferendo maligne vellicavit, quicunque demum est, quem excerpsit Photius p. 491, a. 32. 77) De his cf. *Meinekeius* Quaest. Scen. III. p. 1 sqq. Aristoxeni Τραγῳδοποιοὶ commemorantur *Ammonio* v. ῥύεσθαι καὶ ἐρύεσθαι. 78) *Dionys.* de Dinarch. iudic. p. 653. 79) Cf. *Demosth.* p. 1333, 16. 1335, 25. 1336, 9. 80) v. Θεοκρίνης — δῆλον ἔκ τε τοῦ κατὰ Θεοκρίνου εἴτε Δημοσθένους ἐστὶν εἴτε Δεινάρχου. Hinc intelligitur etiam v. ἀγραφίου cum Tayloro et Bekkero scribendum esse διδάσκουσι δὲ τοῦθ᾽ οὕτως ἔχειν Δημοσθένης τε ἢ [erat τε καὶ] Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Θεοκρίνου καὶ Λυκοῦργος. 81) Certe v. ἐνδεκάζοντες simpliciter excitat: Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Θεοκρίνου. 82) de Dinarch. iudic. p. 630. 83) *Id.* ibid. p. 665. 84) Harpocr. v. ἐνεπίσκημμα — ἔστι δὲ καὶ λόγος τις ἐπιγραφόμενος Δημοσθένους πρὸς Κριτίαν περὶ τοῦ ἐνεπισκήμματος, ὃν Καλλίμαχος μὲν ἀναγράφει ὡς γνήσιον, Διονύσιος δὲ ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ὡς ψευδεπίγραφον. 85) *Phot.* cod. 265, p. 491, b. καὶ τὸν ὑπὲρ Σατύρου δὲ λόγον τῆς ἐπιτροπῆς πρὸς Χαρίδημον οἱ μὲν πρὸς τὴν κρίσιν ἔχοντες τὸ ἀσφαλὲς Δημοσθένους λέγουσιν εἶναι, ὁ δὲ Καλλίμαχος, οὐδ᾽ ἱκανὸς ὢν κρίνειν, Δεινάρχου νομίζει, τινὲς δὲ ὑπεβάλοντο αὐτὸν Λυσίᾳ, καίτοι καὶ τὸν χρόνον ἔχοντες αὐτοῖς διαμαχόμενον καὶ τὸν τύπον ἅπαντα τῆς ἐργασίας καὶ τὰ πράγματα καὶ τὴν ἑρμηνείαν κ. τ. λ. 86) *Schol. Aristoph.* Av. 692. οὐκ ὀρθῶς δὲ Καλλίμαχος ἐν τοῖς ῥήτορσι καταλέγει. 87) Ad Demosthenicarum orationum tabulam referendum quod est apud *Dionysium Halic.* de admir. vi dicendi in Demosth. p. 994. ὃν ἐπιγράφει Καλλίμαχος ὑπὲρ Ἁλοννήσου. 88) Memoratur Callimachi iudicium non tantum de Demosthenicarum et Dinarchearum, sed etiam de Lysiacarum orationum titulis ap. *Dionys.* de Isaeo 6.

rendis non pauca vel praetermisisse vel commisisse Battiadam, sed idem ego nego, eo nomine Caeciliis licuisse Callimachum suspenso naso contemnere. Neque vero hi Callimachi libri etsi toti erant in scriptoribus percensendis, res ipsas videntur neglexisse; immo cum legum tabulae (*νόμων πίνακες*) diserte excitentur[89]), quibuscum „instituta Barbarica" (*νόμιμα βαρβαρικά*) *Suidae*[90]) commemorata arctius cohaeserint, atque de avibus[91]) commentarium ut his tabulis infuisse credamus propria quaedam[92]) ratio suadeat, *ἐθνικαὶ* autem *ὀνομασίαι*[93]), sive „de rerum nominibus apud populos civitatesque alias aliis", „Mirabilia" (*θαυμάσια*), „de certaminibus" (*περὶ ἀγώνων*) et „de fluminibus"[94]) libri ab iisdem tabulis non abhorreant, non inepte coniecisse mihi videor, si parte quadam Callimachei operis quoddam quasi *Ὀνομαστικὸν*[95]) relatum esse censeam.

Tam late diffusa doctrinae spatia unus emensus est Callimachus. Huius aequales Alexander Aetolus, cum solas tragoedias, et Lycophro Chalcidensis, cum solas comoedias in unum colligendas et iusto ordine disponendas sibi sumerent[96]), poterant hi suum spatium, breve illud, etiam aliquanto curiosius et diligentius perlustrare. Neque magis mirum, quod Aristophanes Byzantius, Callimachi, Eratosthenis et Zenodoti discipulus, Philopatore et Philometore regnantibus clarus, quem bibliothecae Alexandrinae post Apollonium videri praefuisse supra dictum est, in iis quae *πρὸς τοὺς Καλλιμάχου πίνακας*[97]), id est aut „adversus C. tabulas" aut „commentarii caussa in C. tabulas", scripsit, quaedam ab hoc vel commissa correxit, vel omissa addidit. Atque hi Aristophanis commentarii ne ad omnes quidem Callimachi tabulas videntur pertinuisse, sed fortasse uno Platone[98])

---

p. 594, ubi pro *τοῦτον ἐπιγράφει τὸν λόγον Καλλίμαχος περὶ Φερενίκου ὑπὲρ τοῦ Ἀνδροκλείδου κλήρου* noli dubitare quin sit cum Tayloro scribendum: *ὑπὲρ Φερεν. περὶ τοῦ Ἀ. κ.* [89]) *Athen.* XIII, 585 *Ἀνέγραψε δ' αὐτὸν ὁ Καλλίμαχος ἐν τῷ τρίτῳ πίνακι τῶν νόμων, καὶ ἀρχὴν αὐτοῦ τήνδε παρέθετο κ. τ. λ.* Ex hoc loco patet leges non serias tantum rerum publicarum sed fictas quoque philosophorum et lepidas conviviorum illis in tabulis locum habuisse. [90]) v. *Φασηλιτῶν θῦμα.* [91]) Unus Athenaeus semel *περὶ ὀρνίθων* appellat (IX, 388, d.), tribus aliis locis cum scriptoribus reliquis omnibus *περὶ ὀρνέων* dicit. [92]) Movit me vocabulum *ἀναγράφειν*, quo utitur *Schol. Aristoph.* Av. 305 *ὁ δὲ ἐλεᾶς μήποτε ἐλείας ἐστὶν ἐν τοῖς Καλλιμάχου ἀναγραφόμενος* (sic enim cum Bastio scribendum). 306. *ἐν τοῖς Καλλιμάχου ἀναγέγραπται κέβλη.* 765. *Καλλίμαχος οὐκ ἀναγράφει τὸν πάππον.* 883. *ἡ γὰρ βάσκα καὶ καταῤῥάκται εἰσὶ παρὰ Καλλιμάχῳ ἀναγεγραμμέναι.* 1181. *τὴν κύμινδιν οὐκ ἀνέγραψεν ὁ Καλλίμαχος.* [93]) Cum his, ni fallor, *κτίσεις νήσων καὶ πόλεων καὶ μετονομασίαι* *Suidae*, *περὶ μετονομασίας ἰχθύων* *eidem*, *μηνῶν προσηγορίαι κατὰ ἔθνος καὶ πόλεις* *eidem* excitatae ita cohaerebant, ut praemissas singularum insularum et urbium origines exciperent nomina aliquot rerum illustrium, veluti mensium, piscium, apud Graecos aliarum civitatium alia. [94]) *περὶ τῶν ἐν τῇ οἰκουμένῃ ποταμῶν*, cuius partes fuerint *περὶ τῶν ἐν Εὐρώπῃ*, *περὶ τῶν κατ' Ἀσίαν ποταμῶν*. [95]) De Onomasticorum forma et indole disputavi in Erschii et Gruberi Encycl. Art. III, 4, p. 6 sq. [96]) Cf. *Meinek.* Qu. Sc. III, p. 3. sq. [97]) De his Aristophanis commentariis quae egregia ad me perscripsit *Godofr. Bernhardyus*, collega coniunctissimus, si nunc publici iuris facio, gratiam non mediocrem spero ab lectoribus me esse initurum. „Constat Aristophanem Byzantium commentarios in Callimachi Pinaces reliquisse (v. Athen. IX. p. 408. F. coll. VIII. p. 336. E.), id est, indices litteratos ab illo conscriptos paulo copiosius variisque accessionibus locupletasse. Hinc facillima patet via ad locum Etymol. M. v. *Πίναξ* resarciendum: *ὁ οὖν Καλλίμαχος ὁ γραμματικὸς ἐποίει πίνακας, ἐν οἷς ἦσαν αἱ ἀναγραφαὶ παρὰ τῶν ἀρχαίων. οἷς ἐντυχὼν ὁ γραμματικὸς ἐποιήσατο τὰς ὑποθέσεις τῶν δραμάτων.* Haud temere verba mendosa sic mihi visus sum redintegrasse: — *ἐν οἷς ἦσαν ἀναγραφαὶ ποιητῶν ἀρχαίων. οἷς ἐντυχὼν Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς κ. τ. λ.* Quis autem ignorat pervagatissima illa Argumenta, quae fabulis poetarum scenicorum sub Aristophanis praescriptione solent adiungi, saeculis quidem illa Byzantinorum hominum fabricata, sed ab vetustis fontibus ducta." Haec Bernhardyus, quorum postrema videntur spectare ad aliquot argumenta prosa oratione perscripta, veluti quae Euripidis Medeae et Bacchabus praeposita sunt; nam iambica, quae Sophoclis Philocteta et Oedipus Rex, quae Aristophanis Acharnenses, Equites, Aves, Ecclesiazusae et Plutus addita habent, quorum formam referunt etiam argumenta Nubibus et Lysistratae sine nominis praescriptione adiecta, videntur germana ipsius Aristophanis neque ullam a Byzantinis hominibus passa esse mutationem. [98]) *Diogen. Laert.* III, 61. [99]) *Wolf.* Prolegom. in Hom. 216. *Boeckh.*

excepto solas poetarum comprehendisse; certe oratorum nomine neque Aristophani neque Aristophaneis usquam denunciatur testimonium; poetarum autem cum Hesiodi et Lyricorum carmina disponeret, germana ab spuriis discerneret, verba recenseret et metricis colis distingueret, tum scenicorum potissimum fabulas accuratius est perscrutatus[99]). Aristophanis et Chrysippi Stoici discipulus, magnus Aristarchus, qui origine Samothrax ab Alexandrinis civitate donatus sub Ptolemaeo VI Philometore floruit Olymp. CLVI, non magis quam Aristarchi discipuli, quamquam ex hoc ludo quadraginta grammatici[100]) profecti dicuntur, in oratorum *censura* quidquam praestitisse videntur[101]). Namque Suidas sane cum Cratete multum contendisse Aristarchum auctor est; sed eas contentiones patuisse etiam ad indices scriptorum litteratos[102]) cur credamus, nulla idonea ratio est. Didymus autem Alexandrinus, *χαλκέντερος*, Aristarcheus, de quo in proxima commentatione dicetur, commentarios quidem in oratores scripsit, de spuriis et genuinis non iudicavit. Magna vero auctoritate erant Pergamenae tabulae[103]) (*οἱ Περγαμηνοὶ πίνακες*) ab grammaticis Pergamenis factae[104]), quae ut erant aetate posteriores ita etiam superioribus videntur diligentiores vel certe ampliores fuisse[105]). Quibus potissimum Pergamenorum grammaticorum acceptae referendae sint, nemo narravit diserte, verissime tamen *F. A. Wolfius*[106]) ad Cratetem Mallotam eiusque scholam retulit. Ille enim, quem inter secundum tertiumque Punicum bellum Attalus legatum Romam misit, a quo primo graeca grammaticorum doctrina ad Romanos pervenit, non Homericorum tantum carminum recensione est nobilitatus, idque adeo ut Homerici inde et critici cognomen referret, sed uti Aristarchus, quocum perpetuam exercebat et acerrimam contentionem, sectam sive scholam condidit Pergami, claram discipulis, qui *Κρατήτειοι* a magistro suo dicebantur, quorum nomina aliquot Wolfius habet. Fortasse praeter ipsum Cratetem Artemon[107]), Asclepiades Marlianus[108]), Athenodorus Solensis Stoicus[109]), Carystius Pergamenus[110]), Demetrius

---

praef. in Pind. schol. p. XII. sq. [100]) Inter eos fuerunt Ammonius Alexandrinus, qui Aristarcho praeceptori in schola Alexandrina successit (*Boeckh.* Praef. in schol. Pind. p. XIV.), Aper qui Romae docuit et Didymum frequenter perstrinxit Augusti temporibus (*Suid.* v. *Ἡρακλείδης*), Apollodorus Atheniensis, Aristodemus Alexandrinus (*Schol. Pind.* N. VII, 1. *Boeckh.* l. c. p. XIV.), Demetrius Adramyttenus cognomine Ixion, Dicaearchus Lacedaemonius (*Suid.* s. v.), Menecrates, Pamphilus, Satyrus cui cognomen erat *Ζῆτα*(Phot. bibl. cod. 190. p. 151, b. 22.), fortasse etiam Menander, Aristis et Mnaseas (nam *Suid.* v. *Ἐρατοσθένης* duplicem patitur interpretationem). — Ceterum de forma *Καλλιμάχειοι* (s. *Καλλιμάχιοι*), *Ζηνοδότειοι*, *Ἀριστοφάνειοι*, *Ἀριστάρχειοι*, *Κρατήτειοι* et similibus cf. post *Lobeckium* etiam *Lozynski* de Hermippo p. 6. [101]) Fuerunt, qui cui *Hellanico* Plutarchus, Pseudo-Plutarchus et Suidas in maioribus Andocidis oratoris referendis testimonium denunciant, grammaticum crederent esse eum, qui Agathocle, Zenodoti discipulo, usus praeceptore, ab Ptolemaeo Epitheta, adversario Aristarchi, constanter auditus esset (*Suid.* v. *Πτολεμ.* *Fabric.* bibl. Gr. VII. p. 62.), sed falluntur; nam Lesbius rerum auctor in Atthide non oratoris quidem Andocidis sed maiorum eius posuit memoriam. [102]) In ea sententia est *Bernhardyus* ad Suid. v. *Ἀρίσταρχ.* [103]) *Dionys. Halic.* de Dinarch. p. 661. *οὗτος* (sc. *ὁ λόγος*) *ἐν τοῖς Περγαμηνοῖς πίναξι φέρεται ὡς Καλλικράτους*. Subiungit Dionysius nescire se Callicratisne sit, cuius nullam praeterea aliam viderit orationem, sed illud sibi constare, multum eam ab Dinarchi indole distare, cui tributa sit vulgo. [104]) *Id.* ibid. p. 630. *οὔτε Καλλίμαχον οὔτε τοὺς ἐκ Περγάμου γραμματικοὺς περὶ αὐτοῦ γράψαντας.* [105]) *Athen.* VIII, 336, e. *οὔτε γὰρ Καλλίμαχος οὔτε Ἀριστοφάνης αὐτὸ ἀνέγραψαν ἀλλ' οὐδὲ οἱ τὰς ἐν Περγάμῳ ἀναγραφὰς ποιησάμενοι.* [106]) Prolegom. p. 276. [107]) *Ἀρτέμων ὁ ἀπὸ Περγάμου Schol. Pind.* O. II, 16. *Vossius* de hist. graec. p. 335. *Boeckh.* praef. in schol. p. XIII. [108]) Haec scribenti mihi non ad manus fuit *Werferi* de Asclepiadis disputatio in Act. Phil. Monac. II, 491 sqq. [109]) Ab hoc Zenonis auditore (*Diogen. Laert.* VII, 38.) narrat Isidorus, rhetor Pergamenus (ap. Diog. VIII, 34), cum bibliotheca Pergamena ipsius fidei mandata esset, abscissa esse ex libris *τὰ κακῶς λεγόμενα τοῖς στωϊκοῖς* quae non recte dixissent Stoici, fraude autem deprehensa rursus inserta esse. [110]) Is *περὶ διδασκαλιῶν* scripsit cf. *Athen.* VI, 235, e. [111]) Cratetis et Aristarchi auditor. *Boeckh.* l. c. p. XXII.

Scepsius[111]), Democritus Pergamenus, Herodicus[112]), Cornelius Alexander[113]) polyhistor, Tauriscus[114]) in illarum tabularum conficiendarum societatem vocati erant. —

Praeter Callimacheos et Pergamenos πίνακας fuerintne alii quoque oratorum, an verbis *οἱ τοὺς ῥητορικοὺς πίνακας συντάξαντες*, quibus quidem utitur Halicarnasseus Dionysius[115]), illi ipsi significentur, nescio.

Atque haec quidem hactenus; nam Polemonem, Hypsicratem, Antigonum Carystium, quos inter τοὺς περὶ πινάκων γράψαντας Diogenes commemorat Laertius (VIII, 188.), pictorum non librorum tabulas enarrasse, satis nunc constat; quae autem ab vitarum scriptoribus, praecipue Hermippo Smyrnaeo Callimachio (cf. *Harpocr.* v. Εὔθιας et argum. in Isocrat. orat. ad Philipp.), ab Demetrio Magnesio in doctissimo libro de homonymis sive de illustribus viris eodem nomine nuncupatis (*Dionys. Hal.* de Dinarch. iud. p. 632.), quae Augusti temporibus ab Caecilio Calactino et Dionysio Halicarnasseo, quae a Paulo Mysio ad germanas orationes ab suppositiciis discernendas praestita sunt, charta exclusi in aliam opportunitatem differimus.

Vos vero, generosi iuvenes, admonemus, ad bonarum artium mercaturam profectis turpissimum esse inanes redire; turpe non nisi iis rebus impleri, quibus panis quaeritur et victus, vita autem non redditur liberalis. Denique date operam, ut ne δοξόσοφοι ἀντὶ σοφῶν reperiamini. Valete.

P. P. in studio generali Halan. Idib. Febr. MDCCCXXXVI.

---

112) *Wolf.* l. c. p. 277. 113) *Suid.* s. v. 114) *Sext. Empir.* adv. Gr. I. 12. 115) de Demosth. et Aristot. p. 725.